



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Sectio II. In quo medio cognoscat Deus poßibilia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

valde diuersa non in ratione rei, & materialiter, sed in ratione obiecti & formaliter.

Prima instantia. Instabis primò, ille modus qui cognoscitur per scientiam visionis est possibilis, ergo cognoscitur per scientiam simplicem, ergo illæ duæ scientiæ non differunt obiectis.

Resp. illum modum qui cognoscitur per scientiam visionis cognosci per scientiam simplicem, sed non cognosci eodem modo, & formaliter, vnde dixi scientias differre obiectis formaliter sumptis, non entitatiuè sumptis & materialiter.

Secunda instantia. Instabis secundò, ille modus diuersus, vel se tenet ex parte obiecti, vel ex parte cognoscentis, non primum quia ostensum est totum cognosci per scientiam simplicem quod cognoscitur per scientiam visionis: non secundum quia scientiæ dicuntur differre obiectis non autem per solam fictionem intellectus, imò videre rem existentem, est, videre aliquid quod non est quando videtur possibilis.

Respond. illum diuersum modum cognoscendi res easdem, non se tenere solam ex parte actus, sed ex parte obiecti, non quidem materialiter sumpti & in ratione rei, sed ex parte obiecti sumpti formaliter, & in ratione obiecti. Vnde nego quod scientia visionis cognoscat aliquam rem, aut modum, quem non cognoscat scientia simplex. Nam scientia visionis (vt dixi) cognoscit essentiam, & existentiam, vt actum positam, scientia simplex considerat illa eadem vt non repugnantia, itaque non repugnantia quæ in scientia visionis se habet materialiter, in scientia simplici, se habet formaliter, & contra.

Addi poterat hic vtrum Deus se ipsum etiam cognoscat per scientiam simplicem, non quod Deus cognoscat se ipsum præscindendo ab actuali existentia, sed quod cognoscatur à nobis cognoscere vnum attributum, v. g. quin cognoscatur à nobis cognoscere illud vt existens, in quo sensu nihil esset absurdum dicere quod Deus se ipsum etiam cognoscit per scientiam simplicem.

SECTIO II.

In quo medio cognoscantur à Deo possibilia.

Dixi quid cognoscat Deus per scientiam simplicem, nunc difficilius est obiectum formale, & medium, in quo illa omnia cognoscit. Cognoscit enim possibilia in se ipso vt obiecto formali & medio prius cognito, si aliqua perfectio Dei sit ratio cognoscendi creaturas, & specificet cognitionem quam de illis habet: cognoscet autem illas in se ipsis motiue si creatura sit obiectum materiale, simul & formale, specificans cognitionem diuinam.

Triplex dubitatio. Ratio autem dubitandi est primò, quia si Deus in sua Omnipotentia cognosceret creaturas tanquam in medio prius cognito, sequeretur quod scientia Dei, posterior esset quam attributum omnipotentia, consequens est absurdum, ergo Deus non cognoscit creaturas possibiles in sua Omnipotentia. Maior clara est, quia obiectum formale specificans & medium prius cognitum, est prius cognitione, tu autem vis Omnipotentiam esse medium prius cognitum, specificans cognitionem, ergo prior est quam cognitio. Quod tamen absurdum est, quia Omnipotentia, est attributum posterius non solum intellectu sed etiam voluntate. Deinde quia scientia Dei dirigit omnipotentiam, ergo manifestum est, quod est prior quam omnipotentia. Denique non ideo Deus est omniscius, quia est omnipotens, si enim non esset omnipotens, non propterea sequeretur quod non esset omniscius.

Secundò, intellectus infinitus cognoscit necessariò omne cognoscibile, sed creaturæ possibiles sunt

aliquid cognoscibile in se ipsis, ergo Deus cognoscit illas in se ipsis, sed cognoscere creaturam in se ipsa, est creaturam esse medium specificans cognitionem diuinam, ergo creatura est medium specificans Dei cognitionem. Neque satis est dicere creaturas cognosci à Deo in se ipsis terminatiue, nam cognoscere rem in se ipsa, est creaturam esse obiectum formale motiuium, sicut cum dico creaturas cognosci in omnipotentia, significatur omnipotentiam esse obiectum formale motiuium talis cognitionis.

Tertiò, Deus non potest cognoscere mala, entia rationis, & impossibilia in se ipso motiue, ergo cognoscit illa motiue in se ipsis.

Dico primò, Deus cognoscit creaturas possibiles in sua omnipotentia tanquam in obiecto formali & medio prius cognito, ita S. Thomas & omnes Doctores olim citati pro visione possibilium in verbo, est enim eadem ratio de diuina cognitione.

Primò enim sic expresse asserunt Patres, Dionysius in primis & Aug. nam ille c. 7. de diuin. nominib. *Non enim (inquit) ex rebus ipsis res discens, nouit eas diuina mens, sed ex se ipsa, & in se ipsa secundum causam omnium, scientiam, & notionem, & essentiam præhabet, & ante comprehendit, non singulis secundum cuiusque speciem intendens, sed secundum unicam causam complexiorem cuncta sciens, & continens:* tum addit se ipsam, *igitur diuina sapientia noscens sciet omnia materialia sine materia & indiuise diuisibilia, & vnicè multa: ipso vno omnia, & cognoscens, & producus:* tum concludit hac igitur ratione Deus, *res cognoscens, non scientià rerum, sed sui ipsius ipsas nouit.* Vide Cyparissiotam Decade 5. c. 5. neque minus perspicue loquitur Augustin. l. 6. de Trinit. c. 10. vbi verbum Dei vocat artem quandam omnipotentis, & sapientis Dei, plenam omnium rationum viuientium, concluditque, ibi nouit Deus omnia quæ fecit per ipsam, & l. 5. de Genesi ad litteram adducens illud Ioan. 1. quod factum est in ipso vita erat, *In qua vita (inquit) vidit omnia quando fecit, & sicut vidit ita fecit, non præter se ipsum videns, sed in se ipso.*

Secundò, rationes superius allatæ pro visione creaturæ huc omnino faciunt, nam vt aliquid cognoscatur in alio vt medio, & obiecto formali sufficit connectio necessaria, & continentia, Dei omnipotentia continet eminenter omnia possibilia, & cum illis connexa est necessariò, vt dixi, ergo illa potest esse medium, in quo Deus cognoscat possibilia. Deinde illud quod est medium sufficiens ad cognitionem comprehensiuam causæ potest etiam esse medium ad distinctam cognitionem effectuum, sed Deus in se ipso est medium ad comprehensionem omnipotentia, ergo est etiam medium ad comprehensionem effectuum omnium possibilium. Denique cognitio diuina debet necessariò habere obiectum formale motiuium à quo specificetur, sed non potest habere obiectum formale à se distinctum, alioqui penderet à creaturis, & illis indigeret ad aliquam sui perfectionem, ergo, &c.

Dico secundò, Deus cognoscit etiam in se ipsis possibilia materialiter, & terminatiue, non cognoscit illa in se ipsis formaliter, & motiue.

Ratio est, quia Dei cognitio (vt dixi) non potest specificari à creatura, alioqui ab ea penderet, & ad eam referretur, & Deus careret aliqua perfectione intrinsecâ, quam haberet si creaturæ illæ non essent possibiles, ergo Deus non cognoscit in se ipsis formaliter, & motiue creaturas possibiles, cognoscit autem illas in se ipsis materialiter, & terminatiue, quia illas cognoscit vt sunt in se ipsis, eodem modo, ac si ab illis moueretur immediatè, & ab illis specificaretur, vt ex cognitione futurorum magis constabit.

Ad primam Resp. scientiam Dei prout terminatur ad

Prima conclusio.

Patres.

Rationes.

Secunda conclusio.

Solutio primæ dubitationis.

ad obiectum primum, esse attributum prius omnipotentia etiam in actu primo operatiua, scientiam autem Dei, vt terminatur ad obiectum secundarium esse posteriorem omnipotentia etiam vt in actu primo operatiua, esse autem ratione prius, quam sit omnipotentia, vt in actu secundo operatiua vt recte probat Arrubal. d. 3. i. c. 4. & 5. ad probationem igitur minoris. Resp. omnipotentia vt actu operantem esse attributum posterius intellectu & voluntate: omnipotentiam autem vt operatiuam in actu primo esse attributum prius intellectu, & voluntate vt fertur in creaturas, & obiecta secundaria. Scientia dirigit omnipotentiam actu operantem, non dirigit omnipotentiam vt in actu primo operatiuam. Deus nunc ideo est omniscius, quia est omnipotens, si non esset omnipotens, non esset omniscius eo modo quo nunc de facto est omniscius.

Instabis, omnipotentia in actu primo non est completa nisi per scientiam per quam dirigitur, ergo scientia Dei est prior etiam omnipotentia vt in actu primo.

Resp. disting. antec. omnipotentia non est adaequate completa in ratione potentia proxime operatiua nisi per scientiam, per quam dirigitur concedo: non est in actu primo completa precise in ratione potentia absolute sumpta nego. Vnde scientia est prior quam omnipotentia, vt in actu primo operatiua proxime, non est prior quam omnipotentia sumpta absolute.

Solutio
secunda.

Ad secundam Resp. conced. quod Deus cognoscit creaturas possibiles in seipsis terminatiue vt obiectum secundarium, non autem motiue, vt obiectum primum. Cognoscere creaturas in se ipsis terminatiue vt obiectum secundarium non est creaturas esse medium in quo ipse cognoscantur, & quod specificet cognitionem. Nam vt aliquid sit medium specificans cognitionem id est constituens cognitionem in tali specie, necessarium est vt moueat intellectum primum; si enim non moueat neque sit obiectum primum, iam supponit intellectionem plenè constitutam in tali specie atque adeo non specificabit. Cum ergo sola essentia Dei, sit obiectum motiuum, & primum ad quod terminatur cognitio diuina, necesse est vt illa cognitio totam suam speciem & perfectionem intrinsecam & essentialem accipiat ab essentia, non autem à creaturis, à quibus implicabit specificari cognitionem, cum illa non sint obiecta nisi secundaria, quae supponunt essentiam cognitionis plenè constitutam, imò implicat in terminis vt aliquid sit obiectum secundarium & sit constitutum.

Instabis, eo ipso quod res cognoscitur in seipsa iam non est obiectum secundarium, nam esse secundarium est cognosci in alio: imò in beatis creaturae sunt obiecta secundaria, & tamen perfectio cognitionis mutatur indiuidualiter mutata creatura quae cognoscitur.

Solutio
tertia.

Resp. posse fieri vt aliquid sit obiectum secundarium, licet cognoscatur in se ipso terminatiue tantum, si enim cognoscatur in se ipso, & tamen supponat cognitionem infinitam adaequate constitutam per terminationem ad obiectum infinitum à quo sumit totam suam essentiam & singularitatem, erit obiectum secundarium, & tamen cognoscetur in se ipso terminatiue. Cognitio ergo diuina cum sit infinite perfecta prout terminatur ad essentiam adaequate per illam constituitur, non autem per creaturas, ad quas non extenditur nisi postquam est adaequate constituta in ratione cognitionis. Vnde si desineret terminari ad creaturas intrinsece, nihil tamen amitteret suae perfectionis intrinsecae, vt dicitur infra. Et in hoc est discrimen visionis creatae, quae cum non accipiat perfectionem infinitam in ordine ad obiectum primum, per ordinem ad obiectum secundarium indiuiduari potest non autem cognitio increata.

Tom. I.

Ad tertiam Resp. Deum cognoscere, entia rationis, & mala primò indirectè in se ipso, quatenus videt in se ipso causas, à quibus illa possunt cognosci, & fieri; loquor enim solum de cognitione possibilem, secundò directè illa cognoscit, & immediatè in se ipsis sed terminatiue solum & secundariò, vt dixi.

QVÆSTIO III.

De scientia visionis. Art. 13.

L Oquitur de hac scientia sine dubio August. l. 11. c. 19. cum eam omni humano intellectui dicit esse inscrutabilem. *Longè (inquit) est iste modus ab acie mea, inualuit ex me, & non potero ad illum.* Patet enim latissimè, scientia hæc, quæ cognoscit Deus se ipsum, & res omnes extra se in aliqua differentia temporis existentes id est præteritas, præsentis, futuras, tunc necessariò à causis necessariò agentibus, tunc contingenter, à causis liberè operantibus. Nul- lum verò potest esse dubium circa scientiam certam, intuitiuam, & quidditatiuam quorumlibet existentium, præteritorum, aut etiam necessariò futurorum, sed ad futura libera tota reuoluitur disputatio, in qua difficultas est primò vtum omnia illa distinctè cognoscat Deus. Secundò in quo medio illa cognoscat quod est obscurissimum inuenire.

SECTIO I.

Vtrum Deus cognoscat distinctè futura omnia contingentia.

C Ertum est primò futuritionem rei, esse aliquid verè reale, præsupponens liberum Dei decretum sed non esse tamen aliquid actu præsens. Quod sit aliquid reale, manifestum est, quia licet nullus intellectus cogitet rem futuram, verè futura est, præsupponit autem essentialiter decretum Dei, de præbendo tali tempore concursu causa, à qua talis effectus exiturus est, quia sicut res in tempore non potest existere sine actuali concursu Dei, sic neque futura esse potest sine concursu Dei futuro; non potest autem esse futurus concursus Dei, quin Deus ab æterno decreuerit præbere concursum hunc tali tempore; nihil enim Deus facit in tempore quod ab æterno facere non decreuerit, ergo rei futuritio præsupponit essentialiter æternum Dei decretum de concursu exhibendo, alioqui res in tempore posset existere independentè à concursu, si esset futura independentè à decreto illius præbendi. Quale autem sit decretum illud, an sit absolutum, an conditionatum, an determinatum, an indifferens postea explicabitur. Nunc satis est dicere illud qualecunque tandem sit præsupponi ante omnem futuritionem, quam dixi sic esse aliquid reale, vt non sit tamen aliquid actu præsens, vt dixi, de possibilitate, quia quando dicitur aliquid esse actu nunc futurum, non significatur futuritionem esse aliquid actu præsens, sed esse aliquid quod erit actu, quia futurum, est aliquid minuens significationem verbi (est) quæ non significat existentiam actuale, sed solam identitatem prædicati.

Futuritio.

Est autem difficile dicere quid sit reale illud, quod non est solum possibile, sed neque adhuc est actuale, de quo fusè disputat Suarez tomo 2. de gratia in prolegom. c. 7. vel enim dices illud esse, quod talis effectus causam habeat determinatam, & hoc dici non potest, quia causa nondum est, & non est adhuc determinata, sed erit, & se ipsam determinabit. Vel dices esse quod Deus decreuerit rem esse tali tempore, & hoc manifestè falsum est, quia decretum Dei nõ est absolutum pro effectibus liberis, vt ostendam postea imò sicut rem esse actu existentem est aliquid illi in-

L 2

trinsecum;